



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Varia Testimonia Fidei historica in Sæculo IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Iurari per se, non per Deum, iussit.
De SERGIOTIS vide anno 810.
De MOECHIANIS an. 808.
De GODESCALCO an. 848.

V A R I A

Testimonia Fidei historica
in Saeculo IX.

ANNO DCCCL. Leonis III. 6. CAROLI MAGNI Imperatoris I. Papa Symbolum Apostolorum in scuto at genteo incisum proposuit in Aede Sancti Pauli.

Carolus autem ita edicit: *In memoriã B. Petri Apostoli honoremus S. Ro. Apostolicam Sedem; ut, quae nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Ecclesiastica Magistrarationis.*

Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, ut, licet vix ferendum ab Illa S. Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.

Porro negat dari appellationem ab ea aliò vsquam.

Eius iussu facta est COLLECTIO LEGVM Ecclesiasticarum.

Vnde vix paucas fanciuit; sed olim fancitas voluit obseruari.

S. SALVIUS cum socio venit ex Aquitania in Galliam, causa Christi prædicandi: at trucidati in stabulo defoduntur.

Locum vero mundum conseruat taurus, alia inde abarcens bruta: tædisque cum cælestibus illustrat Deus.

Carolus demum, ter diuinitus mo-

nitus, ambos transfert in ecclesiam, multos inclitos miraculis.

ANNO DCCCII. Doctissimus hac ætate vulgò credebatur, qui grammaticam nosset; quam & Episcopi profitebantur.

Carolus autem vbique bonas literas restituebat; Professoribus earum amplissimè donatis, ac Honoribus mactis.

At eo mortuo rursus sunt collapsæ.

S. Donatus Episc. Fesulanus, claret miraculis.

ANNO DCCCIV. Leonis III. 7. Pontifex inuisit Carolum in Germania; quam obiens passim multas consecrat ecclesias, instituitque Episcopatus; Indulgentias largas donat: Canonizat VVerdæ Sanctum Suibertum, suaucè fragrantem, plurimis isthuc confluentibus causa & deuotionis, & sanationis.

In his nobilis matronæ filius, in impulsu nauis forte excussus in undas mergitur; mater eum deuouet S. Suiberti seruitio.

Postridie repertus ad Sancti sepulcrum deponitur mortuus: oratur: reuiuiscit: rediuuius proponitur vniuersis.

Erat Archiepiscopi Coloniensis nepos ex sorore. Parens exutum torque tradit Archiepiscopo tonsurandum in monachum; ideoque nomen ei datur Suiberti.

Carolus è Saxonia deducit colonias in Galliam ac Germaniam, causa pacis stabiliendæ; & è tota Gallia & Saxonia penditur tributum Papæ de singulis ædibus. *Obit Alcuinus.*

ANNO DCCCXV. Carolus ad monasterium S. Gudulæ diu in venatione vrserat vrsu qui tandem in apertum inuadens templum ad S. Lipsana sese deponit, pedesque monialium lambit.

Quare à Carolo relictus seruit ibidem Virginibus ad omnem nutum cur & obsequiosus.

ANNO DCCCXVI. Carolus parta regna diuidit inter filios, testamento, in Theonis Villa condito, oblatoque Papæ, qui confirmaret Imperium tamen reliquit Papæ disponendum, dandumque cui vellet: Galliam dedit Ludouico; Italiam Pipino; Carolo Saxoniam, Frisiam, Baiouariam, Austriam, Thuringiam, Neustriam: postque multa præcepta sic statuit: *Super omnia tubemus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem S. Papæ simul suscipiant.*

De Imperio nil cuiquam legauit; quod esset electiuum sub Papa, non hereditarium.

S. Cypriani reliquæ sunt Carthagine Lugdunum translata.

ANNO DCCCXVII. Aaron Saracenus Rhodum cum Myræa pessumdante, Lipsana S. Nicolai euertere attemptabat: at luit classe eius pene tota hausta à ponto.

Idem à Carolo victus pœnam esse faceret, quod captos anno superiore monachos diuendidisset: quos Carolus redemit. Qui èt per Paulum Diaconum curauit *Horas Canonicas* ordine disponi.

ANNO DCCCXVIII. Cum *Machianis hereticis* communicare fugiunt Sancti Episcopi, Erant ij, qui studebant Constantino, abiecta anno 795, vxore, cum pellice viuente, ac si liceret.

AN. DCCCXIX. Aquisgrani Concilium super Symbolo Nicæno habetur. Huius in Missa cantandi licentiam acceperant Galli à S. Leone Magno; iam autem quæritur, An additiuncula *Filioque* etiam cantari debeat, an solum recitari. Papa negabat addi necesse; forsitan quod hæreticos periculum abesset. Si mul in duabus id tabulis argenteis descriptum absque *Filioque* iussit in S. Petri græce, latineque affigi. Posterioribus tamen additum est Symbolo ibidem.

AN. DCCCXX. *Sergius* sese paraelytum mentitur, ac lucidam stellam; leductus à Saracena credit, Euangelium legere esse cuique licitum; Sacerdotes autem id prohibere; ne ex eo cateri discant, quæ Sacerdotes sciri nolunt: Se Tyhicum, Pauli discipulum esse iactat, diuque affectat: matrimonia dissoluebat; vxores discipulis prostituebat. Celibatum execrabatur.

Seçtatores eius *Sergiotæ* dicti, autore mortuo sunt extincti, gladio eos persecvente Michaelæ Curopalata Imp. anno 812. Quia Bulgaris victus, Leone Anno Imperatore acclamato, cedit imperio factus monachus, an. 813.

ANNO DCCCXXIII. Carolus Aquisgrani in Comitij Episcoporum ac Principum, eorum ex consensu renunciat Imperatorem Ludouicum filium, cæteris iam vita perfunctis.

Eum iubet honorare Sacerdotes, vt Patres; populum amare, vt filios esse consolatorem cœnobiorum ac pauperum: ipse inde tantum vacat orationi, lectioni, correctioni Euangelij, ac clericalis disciplinæ per quatuor Concilia in Gallia.

S. Herbertus primum Ostrogothis, Sueombusque prædicauit. Euangelium; Regibus Caroli amicitiam ambiens.

AN. DCCCXIV. Leone Armeno Imperatore Iconoclastas monachos seducto, persecenteque; suos cum Orthodoxis disputare, hi noluerunt; quod post definitum Cultum imaginum in Concilijs disputare nefas ducerent; quodque Imperatoris esset ciuilia tractare, non Sacra. At is damnat monachos, orthodoxis imperat silentium; nolentes exulare iubet, alioque eis surrogat Episcopos.

Carolus Magnus diem obit anno ætatis 72. communicatus prius ac inuentus, canensq; *In manus tuas. &c.* Aquisgrani in B. V. Mariæ sepelitur.

Anno post mortem 166. canonizatur à Pæthali Papa Schismatico; ideo abolitus est canonismus. Colitur tamen inter Sanctos Aquisgrani & paucis Galliarum Ecclesijs.

AN. DCCCXVI. Dum Leo Armenus dire monachos persequitur ob imaginum cultum, & S. Theodorum Studitam cum suis fratribus carcere & fame macerabat; hic se suosque particulis S. Eucharistiæ tecum assumptis diu sustentat: Cõtra tyrannum docet, Imaginem referri ad inaginatam: Et non esse Imaginariam passionem suam, vt Iconoclastæ iactabant; sed veram Martyrium.

Inuentio Sancti Iacobi sic accidit. Dum capite plexus Ierololymis iaceret canibus expositus, clam surripitur, transuehiturque Compostellam.

At per tempora persecutionum veniunt in obliuionem, donec sub Alfonso

Casto locus tape de cœlo collucere videretur, fodientque Episcopus Iriensis totum reperiret.

Stephanus IV. Papa Ludouicum adit in Galliam; qui ei ad milliare occurrens, ipsum ter humi prostratus adorat ante quam conueniret, dicens; *Benedictus qui venit in. &c.*

Deinde per manum ducens eum canit, *Te Deum laudamus. &c.*

Quem Papa cum Augusta coronat, & vngit; Romamque reuertit.

ANNO DCCCXVII. Ludouicus in Conuentu Aquisgrani composuit *Librum Canonice vite* capitum 86. eumque per singulas vrbes Imperij missum describi iussit.

In eo factas olim *Romane Sedi Apostolice Donationes* Regnorum, urbium. &c. confirmat: Item; *Electiõnem* Papa soli Romano Clero facit liberam ac propriam; tantum vt eã factã legati ad Imperatorem mittantur, qui sancitam olim innouent amicitiam.

Iisdem in Comitibus effecit filium suum Lotharium creati Imperatorem. Qua causa Bernhardus Rex Italiæ cum filijs Ludouici conspirant contra Ludouicum:

At hic proditos comprimit per exercitum; prehensores autores excæcat: tondet in monachos aut Clericos: Episcopos vero complices per Concilium conuocatum exauctorari curat, alijs in Sedes eorum subrogatis.

ANNO DCCCXIX. *S. Methodius*, Apocryfarius Patriarchæ Constantinop. Nicephori, missus ad obiecta Nice-

phoro crimina diluenda apud Papam; dum Romæ degit, acres libidinis ignes patiens, diu ardentemque supplicabat S. Petro, cuius patrocinio liberaretur. Noctu tandem apprensus ei Apostolus dexterâ tangi verenda; quibus tactu vstulatis ait: Ex hoc ne timueris libidinem. Dolor vt excussit somnum, is sibi virilia emarcuisse comperit.

Idem breui post creatus in Patriarcham Constantinopol. accusatus stupri, suâ se purgat impotentiâ; casumque refert, quem & ocularis inspectio probauit.

ANNO DCCCXIX. Imperator quotannis Edictum de rebus Ecclesiasticis obseruandis edebat, non vt qui sibi quicquam iuris ecclesiastici arrogaret; Nec qui noua conderet: sed qui condita olim ac sancita seruari vrgeret, velut Executor Iuris ecclesiastici, & Canonum custos: Idque vsitabat auctoritate, ac suâ Papæ.

In rebus tamen grauioribus, ac dubijs Papam consulebat, Et sua eidem Decreta prius offerebat confirmanda, quam vulgaret.

Ita consueuerunt & antecessores, & successores Ludouici; exceptis hæreticis Imperatoribus.

S. Theodorus Studita tertium iam captus annum cum centum fratribus, Armeni iussu disflagellabatur; cum in Bithynia ex obsessa dæmonium clamitat: *Leo meus rursus misit verbera ad Theodorum: at propius adire caute; flammis ore gerit. Silet: moxque exclamat: Heu! nil actum est; nil flebitur: Virtutem habet insidentem.*

AN. DCCCXX. Vrgente persecu-

tionem Leone, (cauente tamen ne cui Martyrij nomen cederet) lapsi prius Constantinopolitani, iam vltro confidentur Imaginum cultum. Barda, cognatus Imperatoris, persecutor sæuus ex morbo habitus pro deposito, nequicquam tentatis omnibus; demum audierum suum catholicum suggererem: *Domine, si petieris, Theodorus Abbas te per sanabit.* Petit; sed Abbas ei prius persuadet pœnitentiam: deinde ex carcere mittit ad eum Deipare icunculâ, quam, vt, Patronam, sanctè coleret. Parete ex animo: Sanatur continuo. At vero, nec diu post, in hæresim relapsus, recidit in morbum; ac morte perit infelix.

Leo Armenus ipsa nocte Natalis Domini, ex insidiis, in templo, à conuictis, autore Michaelo Maieftatis reo, & captiuo, trucidatur, vxor, liberique tenduntur: Michaelus Balbus, excepta circumcissione, Iudæus fit Imperator.

Translatio Sancti Marci fuit talis.

Iustinianus Dux Venetus inhiuerat quemquam appellere ad Ægyptum: Tempestate tamen Veneti Mercatores Alexandriam delati, cerunt Saraceni iussu, Babylone palatium construētis, ex omnibus basilicis Christianis marmora conquiri: Notantes custodes basilicæ S. Marci amos mœrere; nam quotidie Sacram Ædem frequentabant; ipsos aliquando sibi conciliant, vt Christianos Christianis; monachus erat, & alter Clericus: tpondent eis à Turca liberationem, & apud Venetos honorem cum tradito ipsi Sancti Marci Corpore secum velificare Venetias voluerint.

Dia

Diutergiuersati demum cedunt his rationibus:

1. Quod Sanctus Marcus ante praedicasset Aquileia & Venerijs, quam à S. Petro missus Alexandriam appulisset.

2. Deinde, quod Venetiani translata sub Heraclio Imp. Cathedram S. Marcitenerent.

3. Adhac, quod iam eorum socius tertius à Turea diris flagris esset concitus, &c.

His inducti timide consentiunt. Ergo clam S. Claudiae corpus in locum S. Marci extracti, inque nauim deportati, reponunt. Proximo propius eos prodidisset dia fragrantia, urbem completer totam sic, vt ciues in motum surgerent: Et erat de Sancto Marco suspicio: verum corpore viso decepti conuiuere.

Veneti portu soluunt; fragrantiam secuti Turcae praueertunt nauigantes, percunctantibus quid portarent, Veneti suillam obtendunt ac ostendunt per iocum; at serium: nam eam execrantur Turcae & fugitant.

Nauarchus vnus nauis in classe noluit credere, esse verum S. Marci corpus; & luit. Nam eius nauis forte in eam impacta, qua S. Corpus vehebatur, dilacerabatur.

Suborta tempestate S. Marcus apparet. Continuo aduolant incolae; fieri sibi posse S. Marci reliquias adorandi: ab ipsis enim id aduectari constare sibi ex reuelatione manifesta. Incolarum tamen vnus negans esse S. Marci corpus, à cademone protinus obsessus, esse ipsif-

simum proclamat; & ab infessore derelinquitur.

Delatis Venetias cum processione seseferunt obuii Episcopus cum Clero, Dux cum populo: S. Marco ponunt basilicam simillimam Alexandrinam: in qua sic eum abdunt, vt locus constaret nemini, nisi paucis; ne scilicet donari Francis contingeret, tunc omnium potentissimis.

AN. DCCCXXI. Pape inter preces in S. Petri sopito S. Caecilia apparet; (quam Longobardos abstulisse fama erat:) ipsa se, locumque suae quietis indicat: reperta in Aede ipsius honori sacra deponitur. Voluentibus annis iterum in obliuionem deponit; at anno 1601. ab Cardinali Sfondrato, locum alijs parante reliquijs, reperta est.

ANNO DCCCXXII. Ludouicus in Comitibus Episcoporum, Abbatum, ac Principum, sibi dictat ipse poenitentiam, ob patratam à se anno 817. eadem cognatorum: Stans igitur ad valuas templi singulos orabat vt Deum pro se deprecarentur.

Huc eum extimulabat S. Adelhardus Abbas Corbeiensis, ab eo ante in exilium missus infons; at nunc cognitio calumnijs reuocatus; cui & Corbeiam edificauit in Saxonia.

ANNO DCCCXXIII. Missus in Italiam rerum causa gerendarum Lotharius, à Papa, sic fieri rogante, vngitur in Imperatorem, ac renunciat d. c. Paschali. Contigit deinde duos Cardinales excacari, & in Laterano capite minui: de quo inuidi Papam accusant apud Imperatorem. At hic in Conuentu Episcoporum se purgat & iuramento, &

Syraxi: confirmatq; miraculo Deus: nam exortum forte incēdium in vrbe comprimit, vno stans in loco tota nocte, quem flamma trāsgredi nequiuit; quin in seipſam recideret extincta.

Eodem anno in Comensi territorio picta S. Mariæ cum puero, sed vetustate obscura, toto biduo coruscavit; manentibus in obscuritate imaginib. trium Magorum dona offerentium. Pluit lapides; puella anno solido nil cibi sumit, & vixit. Quibus monstris territus Ludou. Imp. fecit, fieriq; indixit eleemosynas, & à singulis toto imperio Sacerdotibus tres Missas, Numini placando.

Basil. Leonis filius, à Michaelo Balbo castratus redditur mutus: orans ante S. Gregorij Naz. imaginem recipit vocem, eiusq; mater cum eo relegata conuertitur ad Rom. catholicā fidem.

AN. DCCGXXIV. Eugenii I. In cuius electione fit schisma populi: cui cōponēdo Lotharium mittit Imperator, vt turbas cohibeat, non vt sese in electionem immisceat.

Michaelus se catholicum simulans, petit per legatos pacem à Ludouico sibi confirmari: In cæteris donis erant Opera S. Dionysij; quæ Ludouicus mittit Hilduino Abbati S. Dionysij Parisios, qua ea latine reddit: Petijtque simul Imperator à Papa licentiam habende super imaginum cultu disputationis. Quā petitionē primo reprehēdit Papa, vt de re iam definita: annuit tamen, etsi instigante Michaelo petittum esset.

AN. DCCCXXV. Concessa habetur Parisijs *Disputatio*. Sed Græci prius

quosdam Episcopos Gallos corrupērāt indoctos, aut improbos: qui prope se duxissent Ludouicum, vt sentiret, *imagines hiberi tantum vt significant. non vt honorētur.* Qua causa petijt à Papa; quatenus se cum Michaelo & Oriente reconciliaret. Verum corrigēri eum Papæ protinus acquieuit; Et damnatē ductorem sui Claudium Taurinens. Episcopum. Neque etiam Orientales Catholici recipiebant missam ad se Gallicam Transactionem, vt temerariam in eo disputando, quod iam definitum fuisset.

S. Ioannicus Eremita captos in Bulgaria sub Turco Catholicos ita liberat. Ibat per custodes nulli visus; signo crucis facto carceres reterat, educit omnes silentio noctis, nullo id hostium perferentiscente.

Nobilissima inextinguibili incendio demū iniecit missam alias sibi epistola S. Theodori Studitæ, clamans, *S. Theodore adiuuas: & mox victrix flamma vita reledit.*

AN. DCCCXXVI. S. Ansgarius Danos conuertit: eorum Rex Moguntæ, in S. Albani baptizatus, Imp. patrocinio tutus agit in Frisia. S. Theodorus Studita piissime obit. Michaelus moniale ducit in vxorem; quo mox humanis erepto ipsa eiusdē filius retrudit in monasterium: item eius exercitum in Creta totum internectione delent Saraceni, vt nec vnus euaserit.

AN. DCCCXXVIII. Ad translata Aquisgranum reliquias S. Marcellini & Petri miracula eduntur ingentia: quibus illustrata Gallia est, præsertim obsessa liberata puella; e qua demon cl-

clades Galliae ob scelera permitti proclamavit: ideo varia passim indicta sunt Concilia ad Morum disciplinam reformandam; sicut iubente Ludouico, sibi que metuente, ac se plurimum humiliante in vestitu. &c. sic ut sacros profanosque traheret in exemplum. Infanda tamen passus à filiis redditur imperio.

AN. DCCCXXX. Ludou. Imp. offerentem sibi Amalarium libros de Ecclesiasticis Officijs mittit ad Papam, ut quae deessent, discat, ea vel suppleturus, vel sequiora correcturus:

AN. DCCCXXXV. Papa Gregorii monitu Ludou. curat tota Gallia & Germania institui festum omnium SS. seu potius institutum olim à Bonifacio Papa, tempore Phocæ, ubique introduci.

AN. DCCCXXXVI. Aquilgrani frequens fit Concilium auertendis aduersis, quæ eueniebant eo, quod sæculares & laici bona & iura sibi Ecclesiastica usurparent, & Ecclesiastici sæcularia gererent officia.

AN. DCCCXLII. Ludouicus & Carolus fratrem Lotharium fugant prælio, exiunt Galliae regno: factis tamen ante Iudicibus Episcopis; qui auctoritate sua regnum Lothario adimunt, transferruntque in fratres.

Theophilus Imperat. Iconomachus in agone conuersus adorat imaginem, iuberque adorari: hæresin actyrânidem confessus dolet. Pro defuncto regina assiduas & ipsa preces fudit, & Missas patrari curauit.

Vidit aliquando ipsum rapi ad supplicia; at donari suis eum precibus, angelo sic ei reuelante.

Tum vero Imperatrix cum filio Michaeli III. Imp. in *Imaginum restitutionem* tota incumbit. Resistens Manuel, pædagogus & tutor Michaelis, morbo deijcitur ad vsque mortem. Visitantes eum monachi restituere eum imagines iubent, easque colere; fore sanandum. Assentit consiliis sanis, & protinus sanatur.

Hic tum plurimorum fiebat conuersio; pertinaces exilio multantur; exautorato Ioanne hæretico Patriarcha, S. *Methodius* turrogatur, qui continuo indicit Concilium pro imaginum restitutione.

Sed schisma simul oritur de hoc: *An ordinari ab Iconoclastis debeant in officijs tolerari?* Ergo lapsis, ac resipiscētibus S. *Methodius* præscribit pœnitētias, ieiunia, preces, certis que diebus sæpius proclamare *Kyrieleison*.

Confessores in Iconomachia constantes conuocat ad conuiuium Imperatrix, vnanimique consensu instituitur *festum restitutionis imaginum*; & annum agitari iubetur Dominica prima Quadragesimæ: In quod hymnos componunt S. Theophanes & Theodorus.

S. *Methodius* assiduis instans orationibus pro Theophilo Imperatore defuncto, ab apparente sibi Angelo audire meretur: *Veniam obtinuit.*

ANN. DCCCXLIV. Lotharius mittit cum exercitu filiū Ludouicum Romam, hostiliter inuadendam; at ijs in ipso Italia ingressu vastantibus omnia, cælo fereno cooritur sua tempestas, quæ fulmine crebro duces ferit primipilos, & enecat.

Simul

Simul Pontifex obuiam mittit cum crucibus processionem, animo Ludouici mitigando. Qui & cessit Deo; Romamq; inquit ei tamen fores templi occludit Papa, donec profiteretur se Amicum adesse: impetrat pariter in Longobardorum Regem coronari.

Eo tyrannidis per Hispaniam euaserat Saracenus, vt quotannis sibi 50. nobilissimas puellas dari in tributum posceret.

Ergo *Ramirus Rex*, tametsi cinctus copijs Saraceni, se pro nomine & sanguine Christiano deuouet, ciet in arma quoscumque potest. Intentis vero supplicationi cunctis, *S. Iacobus* apparet Ramiro, se affore *Patronum Hispanie* spondet in praelio, candido cum vexillo. Itaque victor Saracenorum, vouet se è terra Saracenis adempta Clericis *S. Iacobi* decimas perpetuum daturum.

AN. DCCCXLV. *Rex Bulgarorum* Monacho pictori iussit sibi pingeret domi, quod posset terribilissimum. *Pingit extremum iudicium*, poenas impiorum, iustorum gloriam. Quo viso, altiusque in animum dimisso noman dat Christo, se prius captiuo submittens catechizandum.

Satrapæ mox in caput eius coniuuant; inque apertum bellum erumpunt: At Rex, *prælata sibi cruce*, cum paucis vincit numero longe superiores.

Northmanni Duce *Horic* Galliam inuadunt, quæ est Caroli: iactante victore; *mortuorum, quam viuorum, maiorem* esse in Gallia virtutem; nec enim

sibi restitisse quenquam præter senem *Germanum mortuum*.

Carolus ducturus in hostem, prius adit *S. Dionysij* adem' supplex, Dei, Sanctique tutelaris implorans opem.

Et feliciter! Nam solo aduentu sui nomine terrorem incussit hosti, vt fugam inuaderet.

In fuga templum *S. Germani* nullo modo valebat incendi: In eo trabem incidens obriguit: Alij exæcati abducuntur: Exercitus dysenteria diffusus peribat: Dux *Ragenarius* apud *Horic* iactans, quæ apud *Parisios* patralles continuo percussus à *S. Germano* crepabat medius, factone quicquam voto statuæ aureæ Sancto ponenda. Ceteris sacrilegis viscerum inflatione copias reliquas inficientibus, *Horic* quos reos compererat, omnes carere plectit, in satisfactionem Deo, & quos captiuos trahebat Gallos, manumittit.

Turonenses ab iisdem obsessi, actofistere desperati, damnatis vi & armis, vnum *S. Martinum* in tumba obtinunt hosti.

Qui terrore exanimatus dum fugam arripit, ab insequentibus creditur partim, partim retrahitur captiuus.

Inter hæc mala tor ac tanta Episcopi conueniunt in Concilium *Melacense*; statuuntq; principem eorum causam esse *Caroli* culpam, quod *Ecclesiæ* bona dedisset laicis possidenda, uenit, *Hortalia* per viam *Romanæ* peregrinationis plurima; quæ *Angli* peregrini passim condiderant ac dotarant.

De quibus restituendis vniuersis decreta Cœcilii aspernatur Carolus. Haidulphus inrer epulas iactabat, S. Mauri monasterium sese æquaturum solo, ne vnquam monachis vel spes eius repetēdi foret. Et ecce ad mensam, ab apparente S. Mauro virga percussus furit, perfit.

AN. DCCCXLVI. Carolus Comites, quam Concilii Patres, audit potius, Ecclesiastica bona retentat, negat restitutionem. Ecce redeunt Nortmanni, vastant omnia, ipsumque exagitant. Ac rursus ei denunciatur, nil ei prospere succellurum, ni Ecclesiastica restituat.

ANNO DCCCXLVII. S. Leonis IV. Papæ electi pedes basiatur pro more vetusto. Depilatas ab Saracenis ecclesias Apostolorum rursus coornat: inde mores Cleri, populique reformat. Basiliscum immanem, natum in sepulta Roma, multosque halitu enecantem, ipso B. V. A. sumptis instituta supplicatione fugat, dein & oratione sua enecat illatus.

Idem late dominans in vrbe incendiū ac insuperabile obiecto S. crucis signo comprimit.

Rex Anglorum Edelvvolfus, à Danis liberatus ex voto peregrinatur Romam; vbi reliquam Angliæ partem Papæ reddit tributariam, nummo recognitionis annuo, die S. Petri ac Pauli, pendendo.

AN. DCCCXLVIII. Papa Leo IV. diuino admonitu nouam condit urbem clauditq; muris, Vaticanæ ab incurfibus defendendæ.

Sumptus præstat Lotharius cum fratribus.

Concilium Mōguntinum damnat *Godescalcum hereticum*, præfide Rabano Archiepiscopo. Fuit is Monachus Rheimensis; aucupandi nominis causa ex peruagatis olim hæresibus centonem confarcinatum vulgavit; præsensque Concilio libellum dogmatum suorum obtulit Rabano; damnatusq; remittitur Hincmaro perpetuo concludendus carcere.

Hæreses eius erant hæ: *Deum æque iustos ac iniustos prædestinasse*; Tales Prædestinatianos, olim à S. Prospero conuictos, damnarat S. Cælestinus Papa. 2. *Christum non esse crucifixum pro salute mundi totius; sed horum duntaxat, qui saluantur.* 3. *Neminem prædestinatorum posse peccare.* 4. *Deitatem S. Trinitatis esse triplicem.* Eum in carcere pertinacem suus Abbas Hincmarus confutat: sed laterem lauat; ipse post nihilo melior.

AN. DCCCXLIX. Papa è cœmisteriis suburbanis transfert sanctos intra Urbem, vt custodes eiusdem.

Redeutes Saraceni ad prædas faciendas classe vincuntur, cui prius Papæ ritu solenni benedixerat: Capti innumeri barbari damnantur ad vrbs nouæ fabricam.

In minore Britannia Nomenoius inuadit tyrannidem contra Carolum; dire sauiens in Christianos à Papa, & Concilio Turonensi monetur. Contumax ab Angelo occiditur.

ANN. DCCCL. Rursus in pœnam oppressarum ecclesiarum infestatur Carolus à Nortmannis; vt regni partem inhabitandam eis permittere cogentur.

Ludouicus quoque à Boemis vincitur;

cc tur;

tur; quorum Ducem seipsum fuisse proclamatum ex obfesso Dæmon: Et Germania, præfertim circa Moguntiam, dira fame emarcuit.

AN. DCCCLII. Absoluta vrbs noua dedicatur à Leone IV. cum supplicatione circum eam ducta; in qua ipse, Cardinales, Clerusque nudis ibant pedibus & capitibus, cinere contpersi, & induti sacco, cum hymnis, Litanijis, aqua lustrali, ac solenni Missæ officio subiuncto.

Saraceni diram exercent persecutionem Cordubæ perque Hispaniam: quorum Rex Martyrum corpora in rogum abijci iussit; sed ante percussus ab Angelo, perdit usum linguæ; mox & vitam.

AN. DCCCLIII. Nortmannis rursus Caroli regnum & Turonæ vastantibus, hinc S. Martinus transfertur Antisiodorum, ac propter S. Germanum deponitur. Cum vero exinde fieret controuersum, utrius Clericis Oblata maxima cederent; quia ab utroque edimiraacula promiscue visebantur: iudicium petitur ab Sanctis hoc modo: leprosum collocant medium inter utrumque. ut, quod latus obuersum Sancto persanari contigisset, ei miracula tribuerentur. Et sanatur latus versus S. Martinum. Rursus eundem altero cum latere obuertunt; sanatur & istud à S. Martino. Itaque S. Germanus honorem cessit hospiti Sancto.

IOANNEM Papissam successisse hoc anno S. Leoni IV. primus autor fabulæ fit Marianus Scotus, qui vixit an. 1060. Fuldæ monachus, Chronicorum cõpilator, 2. Error fors inde manuit, quod

Michael Imper. cinædum suum Photium laicum, hæreticus hæreticum fecerit Patriarcham Constantinopolitanum: unde fama, Fœminam esse Pontificem. Leo IV. namq; ea de fama ipse scripsit ad Michaelum.

3. Si Romæ probrum tale sedisset, sane Romani hostes Michael & Photius id minime siluissent; præsertim tanto in Schismate, in quo Photium Papa deposuit exauctoratum, & Ignatium approbavit. 4. Deinde nullus huius scriptor istius meminit usquã. 5. Posteriorum Sæculorum scriptores dissentunt in tempore, nomine, patria, factu &c. 6. Leoni IV. denique anno 855. vita perfuncto, immediate successit Benedictus III. ut nusquam Papissa locum inueniatur.

AN. DCCCLVI. Lotharius se abdicat imperio; regnum fratribus partitum comâ positâ, attonderi se in monachum Pruniaci facit: & obit mortem.

Michael Imperator matrem Theodoram pijsissimam, consortem imperij; quod ei molesta esset monitrix vitam tonderi curat, detruditque in monasterium.

Ludouicus creatur Imperator.

AN. DCCCLVIII. Nicolaus I. creatus se confert ad Imperatorem Ludouicum: hic ei viso pèdes occurrit, equum Pontificis prehensio freno ad telum manu ducit; & post colloquia ac mælam regredientem pari officio submisit et persecutus.

S. Ansgarius Bremensis & Hamburg. Episc. monitos Fresios, ne Dominicali laborarent; at peruicacius resistentes, igne de cœlis deuocato mulctat.

Carolus Martellus ob ecclesiasticorum honorum inuasionem ostenditur S. Eucherio damnatus. Et vero aperto sepulcro exibat draco; fossa autem visebatur exustione denigrata.

Vnde Episcopi admonent Ludouicū pietatis, vt palatium habere malit sacrum, & non sacrilegum.

In Oriente cœpit Schisma Constantinopolitanum, Sancto Ignatio Patriarcha per calumnias relegato, & suffecto per Michaelem laico suo secretario Photio. Incestus causa tragœdiæ fuit. &c.

AN. DCCCLIX. Tulli in Synodo rufusest damnatus Godescalcus hæresis Prædestinarianæ.

ANNO DCCCLX. Carolo seniore à pactis, in Conuentu Episcoporum Confluentiæ sancitis, resiliente, Reges cæteri ad Papam supplices per literas, vt ad Patrem, confugerunt, se submiserrunt, orarunt Iudicem in causa tot regnorum, quot quinq; Principes gubernabant.

De cætero pluribus annis tenuit Papam Nicolaum Schisma Photianum, incestus Lutharii; Legatorum manca fides; & Conciliorum adulatoria Regi collusio: quæ tamen Papam circumuenire nequuerunt.

ANNO DCCCLXV. Græcis primum campanæ esse viui cœperunt, à Duce Veneto missæ Michaeli Imperatori, in S. Nicolaum Papam iniquissimo.

Qui dum se cum Photio scindit ab Romana Ecclesia; ecce Bulgari ad Christum cœuersi in gremium sese condunt Ecclesiæ.

ANNO DCCCLXVII. Bardasre imperat, nomine Michael, arguitur de incestu ab S. Ignatio, Episc. Constantinopolitano: quæ ideo facit deponi, intrudiq; Photium. &c. Demum post multa flagitia visus sibi videre S. Petrum, qui iussit eum infrusta secari.

Id quod pauxillo post euenit à Michaele. Qui in eius locum creauit Cæsarem Basilium: à quo tamen Michael trucidatur, vt vitæ ipsius insidiator. Cōtinuo Basilium acclamatus Imperator Photium detrudit in monasterium, restituit S. Ignatium: Papæ se submittit, orans ab eo ferri auxilium ecclesiæ Constantinopolitanæ. Sed obit S. Nicolaus Papa; succedit S. Hadrianus I. miraculis vterq; celebris.

AN. DCCCLXVIII. Lothar. Rex Galliæ, citatus à Papa, Romam venit, se de adulterio purgaturus: repudiata enim vxore, aliam deperiens duxerat. Conuictō, pænitenti, spondēti que abdicata adultera recepturum sese legitimam priorem, Papa Sanctam Eucharistiam porrigens ait: *Si nil fingis, Communicatio tibi perueniat ad salutem: Sin, nolit accedere.*

Similiter & ad sequaces eius: *Si non communicasti cum excommunicatis, sume salutem.*

Et ecce: Omnes anno moriuntur eodem: Lotharius eriam ante, quam ex Italia excessisset. Teudgaud^o quoq; Treuiren. Episcopus, fautor Lotharii; hospitans in monasterio S. Gregorij, quod hic S. Andreæ honori construxerat, ab vtroque sibi apparente prōtinus exire hospitio, vt indignus, iubetur.

Ea nocte excedit: at cum omnibus suis eodem anno etiam è viuis.

AN. DCCCLXIX. Hadrianus II. permittit *Generalem* indici *Synodum Constantinopolitanam VIII.* In qua Basilius Imp. mirificam Episcopis Reuerentiam tuiq; subiectionē demonstrauit, haberiq; iussit, adeo vt vel oculos suos etiam calcari ab eis voluisset: zelose laborat vt Photianos Episcopos ab schismate ad Romanæ Ecclesiæ vnionem reduceret.

Imperator noluit primus subscribere Decretis Concilij; sed post Legatos Apostolicos, Liber Photij dum in rogū iniiceretur, ab ingenti imbre flamma, non secus ac ab oleo, gliscibat.

ANNO DCCCLXX. Carolus Caluus régnum Lotharij inuadens arguitur à Papa id inhibente. Hincmarus ergo Rhemensis, autor Carolo facti, nunc & defensor agens docere nititur, *Papa nil esse iuris in regna; vt que bello querantur; non dentur, nec confirmentur à Papis.* At secus docent superiorum Facta sæculorum: ideo *Hincmarus politicorum Doctör* fingebat se, quæ scribebat, ab alio audiuisse; fugitans tanti Falsi autor haberi.

Danis Angliam populantibus, Ebba Abbatisa metuens sanctimonialibus, suo mouet exemplo Sorores, vt truncatis labris ac nasibus se ipsas deformarent, ne ab hoste ipsis illuderetur. Vix fugiuntur; sed & cum cœnobia combusta, martyrio coronantur.

Prope Damascum ruri, in cœnobia templo Deiparæ sacro, pictâ in lignea tabella *imaginem B. V. Mariæ accidit murari in carnem; sudareque oleum mirificæ fragrantiz: quod nil imminuitur, quan-*

tumcumque tollatur, varios sanat morbos, etiam in Saracenis; qui prouide frequentissimi, inter innumeros ad eam peregrinantes Fideles, eodem confluunt causa religionis; præsertim in festis Natiuitatis, & Assumptionis B. V. Mariæ.

AN. DCCCLXXI. Ludouic. II. inungitur Imperator à Papa. Doluit id Basilio, inuiditque ei nomen Imperij: cui rescribens Ludouicus docet, *a Papis accipi regna & imperia, more maiorum; & ita se Imperare; non ipsum.*

Æthelredus Rex Angliæ signa cum Danis commissurus, ante Misiam audito sæpius auocatus, ob occasionem rei benegerendæ, urgente hoste, cedere Sacro noluit, nisi absoluto. Moranturque hanc Deus illustri compensauit victoria.

AN. DCCCLXXXII. Basilius institutu Dux Beneuentanus capit Ludouicum II. incenso eius palatio, coactum pactis auitis stare scilicet in pernam illius: quod excommunicatum Teogudum Treuirensis Episcopum tutus esset: occurrenteque ei cum Clero & crucibus Papa, Clerum cecidisset, cruces proculcasset, ac Româ dedisset in prædam. &c.

AN. DCCCLXXXIII. Ludou. II. Romæ se submittens Papæ impetrat absolutionem iuramenti sui, quod Adelgiso captus & coactus fecerat: simul in eum decens profugit eundem.

Ludouicus Rex Germaniz dum Francofurti inuit Comitia, filium Carolum arripit à dæmone coram omnibus cernit: furentem monet conuersionis contra se patrem factæ; iubet

pœnitere: ignoscit ipsi, Deumque pro eo deprecatur.

Restitutus fatetur, quotiescunque attentasset coniurationem, toties arreptum fuisse.

ANNO DCCCLXXIV. Ludouico Regi Germaniæ, in Quadragesima, precibus insistenti, annis inde triginta mortuus pater Ludouicus Imperator adstant ait: *Adiuuro te per Iesum, ut me è flammis eripias ut vita perfruar beata.*

Continuo fieri curat toto regno per omnia monasteria preces & sacra: breuique post & ipse moritur.

Dux Saracenus violator templi monialem in eo oppressurus trabe, aliunde aduolante, opprimitur, & Salernum, quod obsidebat, liberatur diuinitus.

ANNO DCCCLXXV. Pro defuncto Ludouico II. patratis plurimis Sacrificijs; Augustâ sic orante Papam; quæ sese reclusit in cœnobium. Papa *Carolus Clauum*, Romam accitum coronat & vngit Imperatorem.

Ex Corbeia factæ missiones in Sclauiam, hanc totam adduxerunt ad fidem Christi; & Saluatori ac B. Vito basilicam posuerunt.

Huius *S. Viti honor* tandem à fide excidit, gente Sclauorum ipsum pro Deo & colente, & cœli ab aduenis compellente, vt nil vendi mercatoribus liceret prius, quam *S. Vito* quid libassent.

AN. DCCCLXXVI. Ludouico Rege Germaniæ vita functo, Carolus Caluus primum infestè persequitur Clerum, Ecclesiam, & ecclesiastica iura; dein regnum Germaniæ inuadit, exclusis filijs Ludouici: Horum vnus Ludouicus Iunior, parato vtrinque exercitu,

statuit coram eo denos, qui innocuo tactu *ferricandentis probam* darent, ab vtra parte staret iustitia: tangunt omnes illæsi: sed nil Carolus motus parat arma; Papa nequicquam eum reuocante. Ante cœflietum Carolini ita trepidant, vt iam tunc se victos putarent. In cœflietu *stant equi immobiles*; nisi cum in fugam vertebantur; in qua Augusta abortiuit.

Iusta vindicta in iniustum. In fuga etiam mutuis se gladijs verberabant; at nemine læso.

AN. DCCCLXXVII. Carolus Imp. veneno potatus tollitur à Iudæo, prius tamen Papæ succurrerat contra Sanaenos. Recepit pro munere *benedictas* à Papa *palmis*.

AN. DCCCLXXVIII. Vrbe Rom. ab Spoletano Duce occupatâ, Pontifex Ioannes VIII. carcere clauditur, Clerusque vapulat.

Elapsus tamen confugit ad Ludouicum: qui eum reducens in Urbem quærit; *Quid de eorum salute sperandum, qui pro defensione Ecclesia cecidissent.* Cui Papa; *Posse certos esse salutis.* Ideoque *plenariam* impertit *Indulgentiam* pugnantibus contra Paganos: & Caroli Calui filium Ludouicum coronat in Imperatorem.

AN. DCCCLXXIX. S. Ignatio ex humanis exempto, miraculis inclito, Photius impius redit Constantinopolim, operâ Ioannis VIII. Papæ, persuasi à Basilio: Idque cum ingenti & scandalo, & damno Ecclesiæ: Vnde non Papa, sed Papissa vocari cœpit velut effœminati pectoris, qui nec eunucho Photio, nec Semiuiro Basilio restitisset; contra prædecessores, & Concilia. Sed causa

agebatur non hereticus; verum schismatis solius: unde lapsus Papæ fuit moralis & facti; non Fidei.

AN. DCCCLXXX. Papa idē, eognita fraude Photiana, in Conc. Romano Photium & sectarios anathematizavit. Idem concessit Moravis *Divina celebrari linguâ patriâ Sclauonica*: Ducemq; Spoletanū pœnitentē absoluit.

AN. DCCCLXXXV. Romanum agrum *nubes locustarum* opplevit: Stephanus PP. VI. *aquam lustralem benedixit*, qua campos aspergi præcepit: aspersaq; loca liberabantur à plaga.

AN. DCCCLXXXVI. Basilius Imp. miserat Archiepiscopum in Russiam, qui prædicans diu Christum, tandem à Principe accersitus, ex libro Evangeliorum aliqua recitat ei miracula. Cui Dux: Tu si quid simile nobis ostenderis, credemus: simul poscit librum eum in rogum iniici; si non exuratur, tunc credituros Ruthenos. *Manet illæsus liber in fornace multis horis, dum prunæ extinguerentur.*

AN. DCCCLXXXVIII. Carolo Crasso in egestate mortuo *vacat Imperium Occid.* in multas scissum partes, ac Reges. Aurelijs in templo *Crucifixi statuarum lacrymarum fudit* per aliquot dies cōtinuos: omen putabatur urbis perendæ. Et ecce ortus ignis urbem hausit vniuersam.

AN. DCCCXC. Northmanis sese in Britanniam infundentibus; Alanus Dux Brito cum Britonibus *vouent decimam partem omnium fortunarum, S. Petro Romæ se oblaturos, si vicerint.* Vincunt; vt vix 400. ex 15000. euaserint Nortmanni.

Sequuntur tumultuosissima tempora schismatum, Sedisque Romanæ foedus status.

AN. DCCCXCI. S. Formosus creatur Papa; Schisma contra eum creat Sergium: cuius facinora hodie quidam attingunt S. Formoso. Magnam tamen inuidiam Principum creauit sibi, Widonem Ducem Spoletinum, imperij inuasorem, vngendo in Imperatorem *an. 892.* Et *an. 893.* eiusdem filium Lambertum item in Collegam Imperat. Et *an. 896.* sibi ab Romanis exagito Regem Arnulphum in auxilium venientem, renunciando Imperatorem.

AN. DCCCXCVI. Mortuo Formoso, damnatus ob facinora Bonifacii inuidit Papatum: At AN. DCCCXCVII. March. Tusciæ eiecto illo nequiores intulit Stephanum VII. cui Clerus qualitercunque adqueiuit. Hic S. Formosam Sepulcro refoffum, papalibusque indutum in Sede exposuit despiciatui: exoto tres digitos præsecuit; damnatumque in Tiberim abiecit: ordines ab eo exauctorauit. Piscatores repertum sepeliunt in S. Petri basilicam. Lateranum cacodæmone impulsore corruit vt solo adæquaretur. Solum remansit integrū *Sanctuarium, in quo Sedes Apostolica eminebat: indicio, portas inferi non præualueras ei; quia Thronus eius sicut sol, & sicut luna perfectus in æternum.*

AN. DCCCXCIX. Quod Carolus Simplex Franciæ Rex quæreret amicitiam Nortmannorum, Fulco Rhemenis per epi.

epistolam disuadet; dignam que Politicis
objiciatur.

ANNO CM. Arnulpho & Widone
Imp. mortuis, Ludovicus Bosonis fi-
lius Berengarium Foroiulij ducem

prælio vincit, & Romæ omnium con-
sensu suscipit à Papa Imperium. Mar-
chro Tuscię Stephanum PP. carcere &
neruo strangulat.

ERGO:

1. Dic age; Quæ sincera FIDES hoc constitit AEUO IX?
At SIC PAPISTIS RES STAT ROMANA, FIDES QVE:
Non SIC REM seruat Luthero-caluinista, FIDEM QVE.
2. IVRE SVO Proprio Papa, atque Ecclesia gaudent:
Quis quid Ei AVGVSTVS proprio de iure remisit?
3. ANTINE CHRISTVS erat quisquam hoc ROM. in AEUO IX?

SÆ-